



Kern 3481 (i-ii)

538

5

DE  
**PERIPNEVMONIA**

---

CONSENSU  
GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE  
IN REGIA FRIDERICIANA,

PRAESIDE  
**D. PHILIPPO ADOLPHO BOEHMERO,**  
FACULTATIS MEDICAE SENIORE  
ET H. T. DECANO ETC.

PRO  
**GRADU DOCTORIS**

SUMMISQVE IN ARTE MEDICA HONORIBUS,  
LEGITIME IMPETRANDIS,

D. XXIV. SEPT. MDCCCLXXXV.

PUBLICE DISPUTABIT

AUCTOR

**HENR. GOTTL. FERDIN. KÜSTER.**

HALBERSTADIENSIS.

---

HALAE,  
LITTERIS MICHAELIS.





VIRO  
SUMME REVERENDO, DOCTISSIMO  
ATQUE AMPLISSIMO,  
**ELIESER GOTTLIEB**  
**KÜSTER,**  
ECCLESIARUM ET SCHOLARUM  
IN DIOECOESI BRUNOVICENSI CAMPENSI  
INSPECTORI MERITISSIMO,  
NEC NON  
ECCLESIAE S. ANDREAE, QUAE BRUNOVICI  
EST, PASTORI FIDELISSIMO,  
PATRUO SUO CARISSIMO,



ACADEMICAS HASCE PRIMITIAS,

PIO ANIMO

ET DEVOTA MENTE

OFFERT

AUCTOR.



VIR  
SUMME REVERENDE DOCTISSIME  
ATQUE AMPLISSIME

Serena accipe fronte qualemque hocce  
studiorum meorum specimen, tanquam pri-  
mum ingenii mei foetum.

Tan-



Tanta enim ~~ITUORUM~~ erga me exstat me-  
ritorum memoria, ut omnia vix, ac ne vix  
quidem digne satis praedicare, ne dicam gra-  
tissima agnoscere queam mente. Paterno  
semper amore, ac singulari plane benevolen-  
tia, tam cum apud TE, quam cum in Acade-  
miis degerem, me exceperisti atque prosequu-  
tus es, immo luculenta benignitatis, exhi-  
buisti documenta, quorum memoriam nulla  
delebit oblivio.

Itaque valdopere gaudeo, tandem diu  
exoptatam enatam mihi fuisse occasionem,

pie-



pietatis, observantiae et gratissimi mei erga TE  
animi perenne exhibendi monumentum. —

Divini Numinis favor, TE, VIR SUMME  
REVERENDE, TUAMQUE FAMILIAM splendidis-  
simam, per longam annorum seriem, inco-  
lumem servet quam diutissime, omnisque fe-  
licitatis genere, in Ecclesiae salutem, dul-  
ceque dilectissimae TUAE UXORIS ac liberorum  
TUORUM, optimae spei, solatium, abundare  
jubeat; me vero ut et in posterum, ulterio-  
ri TUO amori habeas commendatissimum,

est



est, quod innixe abs te peto atque contendō.  
Vale et fave,

VIR SUMME REVERENDE ATQUE  
DOCTISSIME,

NOMINIS TUI AMPLISSIMI,

CULTORI OBSERVANTISSIMO,

H. G. F. KÜSTER.

---

---

## PRAEFAMEN.

**I**nter infinitum fere morborum agmen, quibus genus humanum continuo quasi afficitur, febres praecipue, maximam illorum partem constituentes, plurimos perimunt homines.

Inter has *febres* autem, praesertim illae, quae cum *pulmonum inflammatione* coniunctae sunt, hinc *pnevmonicae* dictae, primum lethaliatis obtinent locum. Nulla aetas, nullus sexus, nullum vitae genus, nulla regio, nullum clima ac anni tempus est, quo homines ab iis non infestantur.

Grauissimis porro ac funestissimis stipatae symptomatibus, subito validissimos ac robustissimos homines ex improviso saepe opprimunt.

A

Quo

Quo frequentius itaque hic morbus homines afflit, quoque plus doloris ac periculi affert, eo majori medicorum attentione atque diligentia dignus est.

Placuit ideo mihi morbi huius, pericolosae aleae pleni, variaeque eius complicationis historiam ac therapiam, Speciminis solemnis loco, pro virium tenuitate paucis disquirere.

**PERIPNEVMONIA** est inflammatio pulmonum cum febre valde acuta stipata. De varia hujus febris indole infra.

*Diagnosis* Cognoscitur ex febre inflammatoria in genere; in specie vero ex respirationis organi laesione, respiratione scilicet brevi et difficulti; anxietate; dolore fixo obtuso, gravativo, pressorio, in uno vel utroque pectoris latere; spiritu calido<sup>1)</sup>; pulsu molli et undoso; rubore generum<sup>2)</sup>; crux sanguinis, sub emissione plus minus lardosa; tussi primo arida, secundo autem, vel tertio, vel quarto die sputis pituitofosanguinolentis aut abunde cruentis, circa sextum septimumve autem diem subflavis, stipata.

Differit

1) **HIPPONCRATES** de morb. I. III. c. XVI.

2) **ARETAEUS** de causs. et s. morb. L. II. c. I.

Differt quidem peripneumonia a pleuritide; Quum autem hic affectus rarius sit, et rarissimus, si quandoque pericardium, diaphragma, et mediastinum simul labe inficiat, semperque fere cum pulmonum inflammatione junctus sit, (hinc *pleuroperipneumonia dicta*), ac in summis curationis momentis non adeo magna differentia intercedat: subtilior haec, a quibusdam medicis practicis visa divisio flocci habetur: medentem tamen omni ex parte reddit attentum et circumspetum<sup>3</sup>).

### *Decursus morbi.*

Incipit peripneumonia cum febre, (interdum febris eam proxime antecedit), lassitudine, frigore, virium prostratione et anxietate. Sequitur aestus, cum frigore alternans; interdum vomitus, aut diarrhoea sub morbi initio accidunt. Pulsus celer est, frequens, magnus, primo durus, mox autem malo

A 2

in-

3) De variis variorum de pleuritidis et peripneumonias  
fede et differentia, sententiis, vide

SARCOME Gesch. der Krankh, v. Neap. Zürich 1770.  
I Th. S. 118.

III, BALDINGER progr. tria de sede pleuritid. recusa,  
in Cel. GRUNER Del. diss. med. jen. Vol. I. p. 144 sqq.

lo incremente mollis, undosus, inaequalis<sup>4)</sup>. Aegri pro summo dolore pectus elevare impeditunt; respiratio difficilis est, parva, frequens, dolorifica, anxia, simulque calida; tussis quoque excruciat aegros, sicca primis diebus; tertio, quartove autem die, sputa, coloris, consistentiae, et copiae variae, sanguineis striis intertexta, et sexto vel septimo die flavescentia prodeunt. De dolore conqueruntur aegri compressorio et obtuso, et, si pleura simul affecta est, intercurrente acuto, pungitivo, qui saepe sursum ad claviculas, saepe deorsum ad hypochondria sefe extendit. Decubitus aegri varius est; commodius in latere affecto, aut supinus decumbunt, rarissime in fano quietescunt, quia tunc eo maiori dolore affici solent. Interdum nonnisi erecto situ respirare possunt, quod dicitur *orthopnoea*. Lingua in principio rubet, postea vero viscida et nigra evadit. Urina primis diebus rubicunda, saturata, post aliquot dies turbatur et sedimentum deponit copiosum, subroseum. Quibus symptomatibus, rite decursum suum absolvientibus, febris et dolor imminuuntur, respiratio fit

li-

4) Unus nempe vel alter pulsus sentitur validus, et mox iterum si mollis, debilis undosus. v. GALEN. de puls. ad tir. C. XII. Praecipue talem pulsum in pleuroperipneumonia observare licet.

liberior, sputa sanguinea et flava mutantur in blanda et alba, pulsus elevatur, amplior ac aequalior fit, sanitasque in integrum restituitur.

Si autem in pejus ruit morbus: febris et dolor pectoris pertinaciter continuant; sputa vel nulla, vel cruda semper rejiciuntur; urina cruda mingitur; respiratio difficillima et orthopnoea summa succedit; facies tumida, rubescens, oculi inflammati, fulgentes, torvi; anxietas summa; jetigatio membrorum; vigiliae, delirium, vel affectus soporosi accedunt; pulsus exilis intermittens, formicans, fentitur; affectus accedunt syncoptici; sudor frigidus in fronte et pectore erumpit; unius lateris interdum accedit resolutio, labiorum distorsio, extremitatum refrigeratio; circulus circa oculos lividus, visus obfcuratio, convulsiones, insequuntur; quibus finem tandem sub summa anxietate imponit mors.

Nonnunquam aegri, proxime ante mortem nullum sentiunt dolorem, nec angorem, et, si de morbo quaerantur, nihil quidem periculi imminentia arbitrantur. Sed ex algore extremitatum, livore unguium, pulsuque parvo, celerissimo ac intermittente, mortem brevi instare, Medicus cognoscit.

*Causae* Peripneumonia vera pro *caussa* materiali proxima stagnationem et stasin sanguinis in vasis sanguiferis, praecipue arteriosis, vel pulmonalibus, vel bronchialibus, agnoscit<sup>5)</sup>.

*Causae peripneumoniae praedisponentes* sunt: sanguis, copiosus, crassus, minus cohaerens; structura thoracis morbosa; pulmonum debilitas; aetas proiectior, frequentius juvenilis; sexus potissimum potior. Inter rariores referrunt corpora polyposa, vasis pulmonalibus inherentia, et offescientia arteriarum intercostalium.

*Causae*

5) D. HARTMANN, Resp. MÜLLER, diss. Duplex peripneumoniae genus. Halae 1756. 4.

Cel. SELLE stasin sanguinis in vasis bronchiali bus *anginam pectoris*, appellat. Wenn, ille ait, bloß die feinsten Enden der Luftröhre entzündet sind, so äußert sich die Krankheit durch stechende Schmerzen in der Brust, durch einen harten Puls, und durch sehr beschwerliches Atmenholen. Es kann hier auch leicht ein sputum cruentum kommen. Diese Krankheit ist es wahrscheinlich, welche Anlaß zu der Streitigkeit vom Sirze der Pleuritis gegeben hat, und verdient daher besondere Aufmerksamkeit. Ich würde sie *Angina pectoris* nennen. — Cur cel. Vir pro singulari eas habeat morbo, me non satis perfecte perspicere confiteor; cum inflammatio pulmonum sit, aequa ac illa, cuius causa stasin sanguinis in vasis pulmonalibus supponit, nec minus iisdem sanatur medicamentis, quibus huic medemur; hinc *Anginae* nomen minus recte ipsi convenire videtur.

*Causae occasioales* sunt: aër humidus, siccus, calidus, frigidus; subita praesertim horum alternatio et mutatio; aër gravis, levis, effluviis causticis adstringentibus, incrassantibus, referitus; refrigeratio exaestuato corpori admissa, potus frigidus, siatim post iracundiam, vel exaestuante corpore avidissime ingurgitatus; vietus crudus et viscidus; cibi acidi; vinum generosius et spiritus vini tempore vel hiberno, frigido, vel aestivo, vel largiter in dies, vel exaestuante corpore assumptus; motus corporis nimis veheemens, praesertim ineunte vere; fortes pectoris concussions, per clamorem, cantum, elevacionem corporum ponderosiorum; violentiae externe pectori inflictæ; constitutio aëris epidemica; pediluvia, vel nimis calida, vel frigida; acrimonia morbifica, v. g. a scabie repressa, alvi fluxu cohimoto &c. per metastasin ad pectus translata; spasmi viscerum abdominalium; evacuationum sanguinis ordinariarum suppressio; inflammations partium adjacentium.

AB SOLVITVR peripneymonia, ut quivis alias *Solutio  
morbi* morbus (vi principiorum pathol. gener.).

- I. per restitutionem in sanitatem;
- II. per transitum in aliud morbum;
- III. per mortem.

A 4

Si



Si in sanitatem abit inflammatio, resolvitur ita, ut febris ipsius ope sanguis irritans et stagnans discutiatur, et vel per circulum sanguinis bene concocta, blandae humorum corporis naturae assimiletur, vel, si fieri hoc nequit, mobilis reddit, per emunctoria corporis eliminetur. Evacuationes hae vocantur criticae, et certis, nisi natura turbatur, fiunt diebus decretoriis salutibus, die scil. quarto, septimo, nono, undecimo, decimoquarto, decimoseptimo, vigesimo primo.

Optimus certe quidem primus ille inflammationis exitus, sed admodum rarus, et nullo modo sperandus est, nisi in subiecto habitus laxioris, et fluidorum indole non adeo densa praedito, simulque exigua parte pulmonis inflammata.

In altero resolutionis exitu, excernendo nempe materiam obstruentem, variis natura utitur viis, a medico, fideli naturae ministro, bene attendendis.

*per sudorem* I. Per sudorem evacuat materia in arteriis stagnans, in venas propulsa, sanguinis circulo conquaßata, mobilisque reddit. Quamvis hic peripnevmoniae exitus non adeo frequenter occurrat; ex observationibus tamen constat, interdum illum naturae viribus perfici.

Sudo-

Sudorem criticum et salutarem fuisse indicant: larga ejusdem die quodam decretorio in universo corpore, cum vel sine frigore critico praegresso, observata profusio; omnium symptomatum insequens remissio; virium pulsusque naturalis restitutio.

II. Per URINAM judicatio critica salutaris fit, *per urinam*. Si urina hypostatica ante diem septimum cum suspenso albo, aequali et continuo excreta, tunc copiose mingitur et sedimentum deponit acuminatum, laeve et aequale, vel album, vel subruberum; si sputa simul cocta reiciuntur, et morbi levamen percipitur.

III. Per DIARRHOEAM solvitur. Jam ab HIPPOCRATE, ARETAEO, aliisque medicis veteribus alvi excretiones inter criticas in peripneumonia relatae sunt evacuationes. Moderatus tamen et lenis alvi fluxus esse debet, qui levamen morbi adfert; excedens contra diarrhoea, et cum debilitate aegri, viribus praesertim ante jam confractis superveniens, funesta est. Praecipua autem solutio critica per diarrhoeam in peripneumoniis biliosis ac putridis expectari potest<sup>6)</sup>.

A 5

GALE

6) TISSOT Avis au peuple Chap. IV. §.

Sub morbi (pleuritidis inflammatoriae bili-  
sae) declinatione ventrem modice profluere, mul-  
tum profuit. Cel. STOLL Rat. med. P. II. p. 312.



GALENUS in Commentar. ad HIPPOCR. aph. S. VI. a. XVI. moderatam diarrhoeam, simul cum signis coctionis in urina, sputis &c. erumpentem, pro salutari habet.

Omnino certe symptomatica et noxia censenda est diarrhoea serosa, sub principio statim peripnevmoniae, praesertim purae inflammatoriae orta; utpote quae liquidorem sanguinis partem, ad inflammatoriae spissitudinis coctionem tam necessariam, expellit. — Talem incipienti morbo supervenientem diarrhoeam, perniciosa modum et plerumque lethalem declarat D. W. TRILLERUS<sup>7)</sup>; morbi magnitudinem indicare, COEL. AURELIANUS<sup>8)</sup>, et in morbis pectoris praesertim acutis valde perniciosa, BAGLIVIUS<sup>9)</sup>. — Nunquam tutum, frequentem alvi fluxum esse dixit FR. HOFFMANNUS<sup>10)</sup>.

*per sputa*

IV. Per SPUTA solvitur, dum crassiores stagnantis materiae partes per vasorum anastomosis in vesiculos pulmonales transmissae, fereantur et tussi rejiciuntur.

Ab HIPPOCRATE, CELSO, BAGLIVIO, BOERHAAVIO, VAN SWIETENIO, HUXHAMIO, STOER-

CKIO,

7) De pleuritiide §. 33. p. 7.

8) De morb. ac. l. II. c. XIII.

9) Prax. med. l. I. p. 35. ed. Romae 1696.

10) Med. rat. syst. T. IV. P. I. ed. Francof. p. 432.

CKIO, FR. HOFEMANNO, immo omnibus fere omnis aevi Medicis pro optima et fere unica peripneumoniae critica solutione habita sunt et nunquam non pleuritici, quibus sputa deficiunt, aut suppressuntur, aut cruda sunt, in summo periculo versantur; e contrario vero, qui iis bene cito et mature, h. e. die morbi secundo, tertio, vel quarto expurgari incipiunt, crisi celerem, et sanitatis restitutionem certam exceptare possunt.

Crudissima, GALENUS ait, pleuritis est, in qua nihil omnino exspuitur.

Salutari eventu septem primis morbi diebus humida aequalia, laevia, non nimis tenuia, subflava, paucō sanguine remixta, celeriter, facile, copiose ac continue, morbo declinante alba ac blanda, dolore simul mitescente<sup>11)</sup> respiratione levata, pulsuque ampliori et pleniori reddito, rejiciuntur. Malo omnime evacuantur nigricantia, viridia, livida, densa, ramosa.

V. Interdum quoque naturali ac spontaneo per haemorrhagias naturales.  
SANGUINIS PROFLUVIO peripneumoniam solvi constat, larga nimirum narium haemorrhagia, mensium et haemorrhoidum fluxu, nec non urin-

11) HIPPOCRATES in progn. Omnia autem sputa mala sunt, quae dolorem non sedant &c. Omnia autem quae exscreantur optima, quae dolorem sedant.

urina cruenta. Ejusmodi sincerus fluxus infra primum et quintum diem contingens, salutaris censetur<sup>12</sup>).

Omnis autem sanguinis evacuationes criticas ac salutares esse, judicamus. Si una cum perfectae concoctionis signis in urina et sputis coincidunt et consentiant: optimum morbi eventum promittunt, et venaefectionis, in hoc morbo perquam necessariae, vices quasi gerunt.

*Transitus  
in aliud  
morbum*

Si autem peripnevmonia in aliud transit morbum; novus exinde obortus affectus vel pulmonibus ipsis, vel aliis corporis partibus inhaerabit.

Morbi, ex peripnevmonia pulmonibus ipsis inhaerentes, sunt omnes, quos inflammations in generé excipiunt: *abscessus, scirrhus, atonia pulmonum.*

Ejusmodi peripnevmoniae exitus non infrequentes sed miserrimas saepe relinquunt corporis calamitates, quarum ultima linea mors est.

*in pulmo-  
nis absces-  
sum*

Dum in ABSCESSUM tendit inflammatio, quod facile contingit, si malum altiores jam egit radices, et vel ob neglecta in principio auxilia, vel ob sanguinis inflammatorii stagnantis nimis compactam indolem resolvi amplius nequit: ex morbi

12) VOGELIUS Praelection. de cogn. et curand. praecipuis C. H. affectibus §. 194, pag. 149.

morbi ultra decimum quartum diem perdurazione cognoscitur; quamvis jam suppuratio-  
nis futurae metus sit, si ante septimum diem  
symptomata nullo modo mitescant, si vel nulla  
evacuatio, vel non perfecte critica, nec sputis,  
nec aliis viis observata sit, et si symptomata in  
dies ingravescant<sup>13)</sup>, tacitaque febrilia ano-  
mala persistant.

Itaque horrores, sine causa manifesta inter-  
currentes, dolor imminutus, functio nihilo-  
minus pulmonis adhuc laesa, febris et pulsus vel  
imminutio, vel mutatio, suppurationem jam  
jam fieri, indicant.

Pus in pulmonibus cavo collectum propria-  
que membrana inclusum, *Vomica* audit. Quae-  
si rumpitur ac in thoracis cavum pus effunditur,  
*empyema* salutatur.

Praesentem abscessum indicant: febris he-  
tlica post assumta alimenta exacerbata; con-  
tinua pulmonum a vomica irritatio; tussis  
pertinax, sicca, post pastum ac motum au-  
cta; respiratio laboriosa cum strepitu; decu-  
bitus in latus affectum, haud vero sanum; rubor  
genarum et labiorum; appetitus prostratus;  
fitis

13) HIPPOCR. Coac. 392. 396. de morb. l. I. c.  
13. 14. de loc. in hom. c. 25. de affect. c. 8.  
Aph. V. 8.

sitis magna; sudor nocturnus maxime circa jugulum et frontem; urina spumosa; pallor; maces; debilitas summa<sup>14)</sup>.

Nisi autem sputo purulento abscessus solvatur, aegrotum vel suffocatione subito intermit, vel pure, ad sanguinem resorbto et aliis in corporis partibus deposito, abscessus fiunt, febre que lenta phthisica aeger consumitur.

Rarissimum est, si fides habenda quorundam observatis, pus criticum ex aure, per urinam, alyum, aut uterum fluere; frequentius contingit metastasis quaedam purulenta, interdum sine omni praegressa illinc inflammatione, sub axillis et alibi salutariter<sup>15)</sup>.

in Scir-  
rhum

Alter pulmonum ex peripneumonia morbus,  
**SCIRRUS** est; ex quo respiratio laboriosa anhelosa, tussicula sicca, post pastum praesertim molesta, insurgunt<sup>16)</sup>. Facilis inde peripneumoniae recursus, et phthisis tophacea.

in atoni-  
am pulmo-  
num et

Ex perversa auctor medendi ratione, nimis diuine continuato expectorantium, sic dictorum  
bec-

14) BOERHAAVE sph. de cognosc. et cur. m. aph. 835.

HIPPOCR. Coac. n. 402. 423. de loc. cap. 28. de  
morb. I. l. II. c. 44. Prognost. c. 16,

15) VOGELIUS de cognosc. et cur. C. H. aff. §. 194.  
p. 149.

16) HIPPOCR. de morb. I. I. c. XIV. l. II. c. LV.

becchicorum usu, pulmonum tonus laeditur at-  
que phthisis oritur pituitosa<sup>17)</sup>.

Inducit porro peripnevmonia *morbos pulmo-*  
*nibus ipsis non inherentes.* Ex impedito enim  
sanguinis a capite descensu, phrenitis, apo-  
plexia, hemiplegia, angina; ex cordis systole  
et diastole impedita totiusque pulmonis inflam-  
matione et polypi magnorum vasorum, et  
carditis oriri possunt.

Raro febris intermittens, sublato hocce  
morbo, succedit<sup>18)</sup>. Si exquisita fuerit: aeger  
ex vitio primarum viarum sibi malum contra-  
xisse videtur; sin minus: periculum est, ne fe-  
bris larvata adsit, quae in lentam tendit.

Enteritidem<sup>19)</sup>, doloresque artuum<sup>20)</sup> ex  
peripnevmonia ortos legimus.

Si autem MORTEM immediate infert peri-  
pnevmonia: hoc dupli fit modo, *vel*, pulmo-  
num gangraena, *vel* subita liquidi sanguineo-  
ferosi accumulatione.

Facile

17) E. WICHELHAUSEN Dissert. de Phthisi pituitosa.

Götting. 1783. 4. §. 31. pag. 65.

18) BANG Selecta diar. nosoc. frider. in Act. Havn.

Havniae 1783. 8. T. I. p. 250.

19) BANG l. c. p. 110.

20) BANG l. c. p. 250. RIEDLIN Lin. med. Maj.  
pag. 307. sqq.

Facile in *gangraenam*, hinc in sphacelum et mortem transit inflammatio, si vel gravissima, vel putridae malignae indolis sit.

Indicatur hic exitus, si nulla critica obser-vatur excretio, vehementissimae inflammationis signa subito evanescunt, calor internus in fri-goris sensum mutatur, dolores cessant, debilitas summa accedit, pulsus parvus, celerrimus, in-termittens observatur, animi angor, rigor, horripilatio, lypothymiae, convulsiones, car-phologia, tendinum subsultus, funesti eventus prodromi, accedunt.

Si autem pulmonis pars gangraenascens in putredinem ruit, ac ea destruitur: sputa insi-mul rejiciuntur putrida, ichorosa, tenuia, ci-neritia, livida, atra, foetida, quae cita excipit mors.

Altera in peripnevmonia mortis causa, est *suffocatio* ex subita pectoris oppletione orta. Et jure quidem haec pro frequentiori mortis cau-fa tenetur<sup>21)</sup>. Crebriores enim cadaverum se-*ssiones* a BONETO, MORGAGNO, multisque aliis Medicis institutae docent, pulmones, peripnev-monia

21) FR. HOFFMANNVS Med. Rat. Syft. T. IV.

P. I. p. 432. §. 12.

CULLEN *Anfangsgr. der Arzneiwiss.* I Th. §. 24.  
S. 169. §. 338. S. 223. conf. §. 342. S. 226.

monia mortuorum duros, sanguine infarctos,  
vesiculis pulmonalibus, vel sanguine puro, vel  
fero mixto repletis, inveniri, et aquae injectos  
statim fundum petere.

Antecedunt tristem hunc exitum jaestatio  
membrorum, anxietas summa, orthopnoea,  
faciei intumescentia ac rubor cum deliriis;  
quia sanguinis a capite reditus et liberior ejus  
per cor et pulmones circulus valdopere impe-  
ditur.

### *Prognosis.*

Inflammatio pulmonum in genere quidem,  
uti omnis morbus acutus, periculosa judicatur;  
eo periculosior autem existit, quo magis pul-  
monum, ad vitam nostram tam necessaria func-  
tio hac ipsa laeditur, viscusque pulmonale  
corruptioni facile obnoxium redditur.

In specie vero plus periculi alit, si pe-  
ripnevmonia malignae et putridae indolis sit,  
si corpus valetudinarium invadat, si gravi-  
dam, si senem corripiat.

Aequa ac in corporibus rusticis, athle-  
ticis, quadratis, plethoricis, exercitationi de-  
ditis, cholericis, majori stipatur periculo,  
quam in corporibus laxis, phlegmaticis, et vitae  
sedentariae addictis.

B

Febris

Febris vehementia, respirationis magna difficultas, decubitus difficilis, orthopnoea, faciei sub orthopnoea intumescentia et rubor, pulsus irregularis, tussis crebra, vehemens, sica, dolor praesertim compressorius summus in in pectore, delirium, — mala, et inflammationis vehementioris morbique pertinacioris signa sunt.

Sudores circa cervicem oborti, praesertim frigidi, nisi urinae copiosae et crassae reddantur, sputaque cocta excernantur, perniciosi <sup>22)</sup>.

Indicatorii et critici morbi nostri dies, videlicet quartus, septimus, nonus, undecimus, decimusquartus, decimusseptimus, vigesimus primus medentis exposunt attentionem.

Si nullum, in primo septenario, solutionis apparet signum, remanente respirationis difficultate, et potius mali symptomata augentur: funestus imminet eventus <sup>23)</sup>.

Bonae concoctiones iudicationem brevi fore et certiore salutis spem promittunt <sup>24)</sup>.

Prae-

22) HIPPOCRATES Progn. c. 5. Coac. n. 572.

Qui in peripneumonia primis mox diebus citra levamen sudant, pereunt ac sphacelosa plerumque subest inflamatio. FR. HOFFMANN MED. RAT. SYST. T. III. p. 323.

23) HIPPOCRATES de loc. c. 25.

24) IDEM Epid. L. I. S. II. n. 87.

Praefertim sputorum ratio habenda, quibus  
fere semper morbus solvitur.

Sputum mature coctum, moderate crassum,  
facile et copiose excretum, bonum; crudum  
et tenuem, tardeque et cum difficultate excre-  
tum, malum<sup>25</sup>).

Screatio flava, nec multo sanguine permixta,  
salutaris et boni ut plarimum ominis est<sup>26</sup>).

Sputum vero sub initio statim et abunde  
cruentum ac spumosum, malum<sup>27</sup>).

Omne sputum, dolorem haud solvens, ma-  
lum; contrarium autem exoptatum<sup>28</sup>).

Sputa sincera rubra, vel flava, vel aerugi-  
nea, pallida, viridia, nigra, spumosa, et glu-  
tinosa, prava<sup>29</sup>).

A sputis suppressis metuendum est delirium,  
vel suffocatio, vel gangraena<sup>30</sup>).

Sputa nulla, symptomatibus morbi perdu-  
rantibus, pessima<sup>31</sup>).

## B 2

## Diar-

25) IDEM Aph. I. 12. Coac. 416

26) IDEM Coac. 390.

27) IDEM ibid.

28) IDEM ibid. 391 Aph. I. 25. II. 2.

29) IDEM Coac. 390.

30) IDEM Praed. I. 97.

31) ZIMMERMANN von der Erfahr. T. I. B. 3. p. 408

Diarrhoea, perinevmoniae superveniens, valde suspecta, praesertim si malum inde non levatur<sup>32)</sup>.

Urina in peripnevmonia tenuis, si quarto die enaeorema sistit, et septima subruberum deponit sedimentum, spem solutionis promittit<sup>33)</sup>.

Sanguinis e naribus larga et tempestiva eruptio, sic dicta *activa*, bona et exoptata est.

Quod si autem sanguis importune et maxime quarto, vel sexto, vel etiam undecimo die, ob morbi violentiam et imbecilles naturae conatus, paucis guttulis tantum exstillat: *passa* haec *excretio* mala et pessima dicenda.

Lateris aut pulmonis dolores, qui neque per sputorum purgationes, neque faecum dejectionem, neque venaefectionem, nec medicamenta, nec per vietus rationem sedantur, ad suppurationem tendunt<sup>34)</sup>.

Quibus dolor citra aliorum symptomatum remissionem subito cessat, funestum<sup>35)</sup>. Pejus pariter, si in maximo symptomatum fere vore, nec dolere, nec sitire, neque ullo modo se laborare, persentiant aegri.

Ab-

32) HIPPOCR. Aph. VI. 16.

33) IDEM Aph. IV. 71.

34) IDEM Progn. c. 14.

35) IDEM Coac. 418.

Abscessus, pone aures, aut in cruribus erumpentes, magnamque puris copiam profundentes, salutares. Metastasis puris in hepar, anceps; in cerebrum lethalis. Mictus purulentus, enato ab abscessu, et materia copiosa, crassa, alba, per urinam excreta, malum solvit <sup>36)</sup>.

Pulmone suppurato, si pus per alvum evacuantur, lethale.

### *Curatio.*

*Curatio* huius morbi differt maxime pro differentia febris, qua ille stipatur.

#### I. PERIPNEVMONIAE SIMPLICES.

##### a. *Peripnevmonia vera,*

quae stagnationem et stasim sanguinis puri in pulmonibus pro caufa sua agnoscit, cognoscitur ex symptomatibus supra recensitis, signis Synochi simplicis, viribus, sub initio morbi integris, absentia signorum cuiuscunque faburrae, et crusta sic dicta inflammatoria sive coriacea.

Hinc sequentes in hac peripnevmoniae specie formandae sunt *indications*:

I. Ulterior sanguinis stagnatio et stasis impedienda,

II. facta discutienda,

B 3

III.

36) IDEM Aph. IV. 74.

III. excretiones criticae, quo natura vergit,  
placide promovendae, et

IV. pulmonum robur restituendum.

A. Ulterior stagnatio et stasis impeditur co-  
hibito sanguinis ad pulmones impetu, quod fit  
praecipue,

1) Per evacuationes sanguinis sinceras et  
praesertim per venaesectionem. Praesentissi-  
mum ac praestantissimum huius morbi reme-  
dium est venaesectio, largiter, tempestive,  
praesertim in latere affecto, instituta. Larga  
hoc in affectu necessaria esse debet, praecipue  
in adultis, exercitatis, rusticis, quadratis; in  
subjectis, lauta diaeta utentibus et plethoricis,  
quibus haec peripnevmoniae species familiaris  
quasi esse solet.

Sanguinis mittendi copia, in genere deter-  
minari nequit, sed ex aegroti aetate, quae il-  
lam permittrit, habitu, viribus, morbi vehe-  
mentia et diufurnitate etc. dijudgetur. In sum-  
me plethoricis, si vires integrae sunt ac inflam-  
matio vehemens, usque ad lipothymiam ve-  
naesectionem instituere, convenit. Optime tunc  
incommodis, quae ex tam larga venaesectione  
oriri possunt, per analeptica, vesicatoria et  
camphoram occurrimus, vtpote quibus vires re-  
suscitantur, pulsusque elevatur. Raro una suf-  
ficit

ficit, sed altera, vel tertia requiritur. Celi-  
PRINGLE prima aut secunda venaesctione, duo-  
decim usque ad sedecim uncias, sanguinem  
educendum curavit; in sequentibus vero minori  
in quantitate<sup>37)</sup>). Et in genere infra decem un-  
cias nunquam fere sanguis subtrahendus esse  
videtur. Venaesctio, nisi symptomata pecto-  
ris, praesertim oppressio, evidenter remittunt,  
vel eadem, si symptomata urgent, aut secundo,  
aut tertio die repetenda; ultra vero non temere  
procedendum, neque indicatio ex conspicua  
lardosa crusta in sanguine absolute formanda,  
utpote quae tuto remanere potest sine vitae pe-  
riculo, cum non causa morbi tantum, sed in-  
super venaesctionis, nimis repetitae, effectus  
esse possit<sup>38)</sup>.

Quodsi in prima statim, vel parcissima san-  
guinis detractione deliquia animi incident; tunc  
repetita vice sub horizontali aegroti situ et parce  
sanguis subtrahendus est. Saepius autem venaes-  
ctionem secundam, magis secundam priori  
fuisse, obseruata docuerunt quam plurima.

Primis quidem quatuor praecipue diebus  
sanguis mittendus est, antequam concoctionis  
signa in sputis ac urina apparent; saepe tamen,

B 4

fi

37) Beobacht. üb. d. Krankh. d. Armee p. 146.

38) VOGEL I. c. §. 198. p. 152.

si inflammatio vehemens, symptomata urgētia, nec bonae ac perfectae concoctionis, nec criseos, nec suppurationis futurae signa adsunt, et venaefectione initio vel omissa, vel nimis parva in quantitate instituta fuit: omni tempore usque ad diem septimum intrepide ac cum successu a prudenti Medico adhiberi, et qualicunque die, summa morbi vi urgente, administrari potest<sup>39).</sup>

Omittenda vero, si bonae ac perfectae, vel factae concoctionis signa in sputis, urina, etc. adpareant<sup>40);</sup> si vires ob praegressum morbum, vel alia ex caussa valde debilitatae, (minime autem, si modo suppressae sunt); si post tertiam vel quartam, vel, pro rei necessitate, intra triduum factam sanguinis detractionem, nulla symptomatum remissio subsequitur; quium plenus tunc quidem pulmonis a sanguine restagnante infarctus extimescendus sit<sup>41).</sup>

Venaefectionem, praesente mensium vel haemorrhoidum, fluxu, absolute contraindicari, vix illum, secundum therapiae generalis principia persuadere sibi posse, credo. — Et in

gra-

39) VOGEL l. c.

40) Exscreatio primis statim diebus prodiens, Venaefectione potius promovetur quam cohibetur, monente CULLEN. l. c. §. 353. p. 235.

41) ELLER Observ. de cogn. et cur. morb. Sect. VII. p. 199.

graviditate sanguinis missio juvat; semper tamen caute ad tempus graviditatis, vires aegrotae, et quantitatem massae evacuandae respicendum.

Videntur nonnunquam quidem peripneumoniae simplices verae, leves, in sanatione earum VSne opus non habere; Medici autem, praesertim juniores, minus adhuc exercitati, probe sibi hac in re prospiciant et non ad praesentem tantum corporis statum, sed et futurum respiciant; interim dissimulandum non est, interdum illam omitti posse, in primis, si febris non vehemens sit<sup>42)</sup>.

2) Per solutionem *alvi obstructae*, quae in hoc morbo plerunque adesse solet et congestiōnem humorum ad peccus auget. Non acrioribus purgantibus, alvi perturbationem efficientibus, sed potius lenioribus *laxantibus, antiphlogisticis*, ex pulpa Tamarindorum cum manna et cremeore tartari, in aqua florū acaciae, adjecto nitro solutis, confectis et cochleatim exhibitis, alvi lenem solutionem producere, convenit. Pariter, ex plurimorum auctoritate, per enemata emollientia et antiphlogistica, ex decocto avenaceo et altheae, adiecta f. q. oxymellis simplicis, nitro depurato, oleisque anethino et chamo-



millae coctis, cum vel sine vitellis ovorum praeparata, alvis ducenda:

3) per remedia, *organum sanguinis et calorem temperantia.* Finis hicce obtinetur,

a. regimine aequali temperato, nec nimis calido. Cubiculum aegroti eligatur aptum, aer servetur temperatus, nec stragulis magnis, nimiris atque grauibus aeger obtegatur<sup>43)</sup>.

b. Medicamentis temperantibus, nitrosis, acidulis, ex regno vel vegetabili, vel minerali petitis, et potu diluente acidulato, videlicet decocto hordei, avenae, scorzonerae, rad. graminis, vel cum succ. express. Rub. Idaei, Ribum, Cerasor. acid. Fragorum, etc. (addito pro grato sapore pauxillo

43) HUXHAM T. II. ed. Reichel. p. 180. —

Regimen frigidum tanti esse arbitratus est SYDENHAM, ut pleuriticos quotidie ad aliquot horas, et lecto eximere, suadeat, ne nimis exaeruent; ita ut si contra lecto jugiter affixi relinquantur, neque sanguinis evacuatio neque remedia alia quaecunque vel minimum proficiant, Vid. Sect. IV. cap. p. 254. ed. Amstelod. 1683. — Et Cl. SARCONTE (Gefch. d. neap. Krankh. T. I. p. 196 sqq.) eo usque processit, ut glaciem pectori imponere, potumque frigidissimum assumere suaferit. Sed quam audax ac temeraria haec curatio sit, quis non viderit! —

xillo facchari); vel cum spiritu vitrioli acidulato,  
et syrupo acetositatis citri gratori reddito.

B. *Indicationi secundae*

respondent, quae sanguinem spissum inflammatorium et stagnantem dissolvunt, simulque cor atque arterias leniter stimulando, motum sanguinis intendunt, ita, ut sanguinem congrumatum, in pulmonibus stagnantem, solutum movere possint.

Omnibus his viribus instructum a quinquaginta circiter retro annis innotuit medicamentum, cuius primam notitiam debemus JOHN TENNENT, Medico Anglo.

JOHN TENNENT, soluto Penfylvanis largo praemio, tandem ab iis impetravit, ut specificum illud medicamentum, quo serpentis caudifoni morsu ipsi felicissime medebantur, RADICEM, inquam, SENEgae revelarent.

Videns autem TENNENTIUS, pleuriticos ac peripnevmiacos iidem fere symptomatibus, ac serpentis caudifoni morsu laesos affici, in iidem tentavit dictae radicis usum tanto quidem exoptato eventu, ut illud horum morborum unicum specificum dicere, haud veritus fuerit, et ob cives multos, hoc remedio servatos, praemium LXXV librarum a supremo Philadelphiae magi-

stra-



stratu obtinuerit. — Optandum certe esset, ait LINNAEUS<sup>44)</sup>, ut in nostris etiam pharmacopoliis radix servaretur, cum memorati morbi, plurimos penes nos, praecipue de plebe, immature extinguant. Divulgatis hac de re observationibus auctoris saepius laudati in Virginia, eo cum fructu his in casibus usurpari coepit, ut raro tres aut quatuor jam e centum numero e vita decadant, cum tamen antea ultra partem dimidiata quotannis eodem fato defungerentur.

Postea quoque Senegae usus in Gallia, a Cl. LEMERY, DE LUSSIEU, DU HAMEL, BOUVART, aliisque Medicis, non sine summo fructu in febribus pneumonicis laudatus fuit. Nec in Italia, Germania et septentrionalibus Europae regionibus Medici defuere, qui experientia convicti, efficaciam et praestantiam hujus medicamenti in pectoris inflammationibus haud probaverint<sup>45)</sup>.

Cum

44) Amoenitat. acad. Vol. II, ed. Amst. 1752 p. 130, 131.

45) BÜCHNER Fund. mat. med. p. 297. sqq.  
SPIELMANN Inst. mat. med. Argent. 1774. p. 531.

LEWIS Mat. med. ed. germ. Ziegler. Zürich 1771.  
p. 468. sqq.

MURRAY App. Med. T. II. p. 436 sqq.

Cum vires hujus radicis potissimum resolventes et evacuatoriae sint, praesertim diathesin sanguinis phlogisticam corrigentes, in specie autem utilissimas ac criticas in peripnevmonia excretiones, urinam scilicet, sudorem, et expectorationem promoventes<sup>46)</sup>: intuitu observationum, dictam radicem exoticam felicissimo cum successu et specifico ad pectoris inflammationes sanandas usu adhiberi non modo posse, sed et adhibitam fuisse, constat; interea mirum est, cur in paucis tantummodo officinis prostet locumque obtineat, cum majori jure, quam tot alia inania medicamenta, efficax hocce remedium laudes mereatur.

Propinatur potissimum vel sub forma pulveris, vel decocti et infusi. A TENNENTIO sequenti modo adbibita fuit. Praemissa sub morbi initio sat larga venaefectione, post quadrantem horae vel tinturae, vel decocti dosin unam porrigerat, tertia quavis hora repetendo, donec symptomata remiserunt, interposito simul potu diluente, emolliente, et reiterata, si necessitas urgebat, venaefectione. Diarrhoeam symptomaticam facile per tonica subadstringentia et absorbentia mitigabat et sistebat<sup>47)</sup>.

V. o.

46) LINNAEI Amoen. ac. T. II. p. 128 sqq.

47) LINNAEUS l.c.

Vomitus a nonnullis ex Senegae usu obser-  
vatus, minori dosi praecavéri poterit, et tunc  
quidem haud facile diarrhoeam excitabit.

Decoctum Senegae aquosum a quibusdam  
pulveris usui praeferitur et ad unciam unam pro  
dosi exhibetur. Sed nihil impedit, quo minus  
etiam in substantia pulverem ad scrupulum di-  
midium cum aequali portione nitri depurati et  
uno altero grano camphorae, servato debito  
regimine, interponamus.

Sic Ill. BEIREISIUS, Praeceptor pie colen-  
dus, summo cum fructu ac aegrotorum folatio,  
(in peripnevmoniis praesertim biliosis, ultra  
annum nunc continue fere Helmstadii et circa  
urbem epidemice grassantibus, uti ex litteris Ill.  
Viri, nuperrime ad me humanissime datis, novi),  
Senegae radice utitur, et hac medendi methodo  
vix unus e centum diem obit supremum. Ita au-  
tem eam exhibet, ut aeger omni sexta, oœtave ho-  
ra pulverem ex Rad. Senegae, Nitri depurati aa.  
gr. X. Camphorae gr. II. capiat, subjunctis simili  
venaefectione, si indicatur, larga, nec non  
medicamentis resolventibus et temperantibus.  
Et sic raro sibi ultra drachmam radicis, ad pe-  
ctoris inflammationem profligandam, opus esse  
testatur.

Ne



Ne autem limites huius libelli excedam,  
plura testimonia non addam. Sunt quidem,  
qui medicamentum hoc spernunt, aut, quod  
nimis pretiosum illis videtur, et medicamenta  
minoris efficaciae et majoris forsan adhuc pre-  
tii in usu habent, aut specificam radicis virtu-  
tem adhuc ignorant; sed institutis rite indaga-  
tionibus pharmaceuticis, singularem radicis  
vim, experientia jam confirmatam, ulterius  
explorandam ipsis relinquimus.

Monendum adhuc est, saepe radicem Po-  
lygalae amarae et vulgaris *Linn.* fraudulentem  
modo Senegae substitui, quae tamen exiguis  
tantum in his morbis viribus gaudet. Se-  
nega vero ex sapore potissimum aeri, urente  
eiusque modo agendi in partes interiores oris,  
ac singulari acido, qui cortici tantummodo ra-  
dicis inhaeret, dignoscitur <sup>48)</sup>.

Efficacia egregii hujus medicamenti aug-  
tur, dum ad sanguinem concretum spissum re-  
solvendum, vasaque rigida relaxanda, diluen-  
tium ac emollientium subjungimus usum. Qua  
ex caufsa juscula tenuia, et decocta aquosa, ex  
hordeo, avena etc. cum oxymelle et nitro, nec  
non infusa theiformia ex floribus Sambuci, Pap.  
rhou-

48) BÜCHNER I, c. §. CXL. p. 298.

rhoeados, Verbasci, &c. praeparata et tepide assumta, admodum proficua sunt.

Vi gaudet quoque singulari *arnica montana* L. (*arnica plauens. officin.*) congruumatum dissolvendi sanguinem; hinc egregius ejus et in peripnevmonia effe<sup>t</sup>us tot Medicorum observationibus confirmatus fuit, ut ulteriori laude ejus superfedere possimus. — Observandum tamen est, ut absque pulpa, minori in dosi exhibeat, ne nauseam et vomitum moveat. Optime herba cum floribus infusis pe<sup>c</sup>toralibus theiformibus pro parte additur, vel solum deco<sup>t</sup>um parva in quantitate iterata tamen vice, notante *Ill. BOEHMERO*, Praeceptore meo summa mentis veneratione a me ad cineres usque prosequendo, in usum trahitur.

Vesicatoriorum in peripnevmonia usus, omnis fere aevi et regionis, praecipue Angliae et nunc Germaniae quoque Medicis communis est. Sed valde inter se Clarissimi Viri dissentunt, quoniam in morbi stadio illa praecipue profint. Quibusdam et praecipue Anglis in usu est, initio morbi statim topica ejusmodi admovere. Attamen Cel. CULLEN VSQ<sup>IS</sup> salutarem effe<sup>t</sup>um per eorum applicationem turbari, hinc unam alteramve phlebotomiam praemitti debere, monet <sup>49)</sup>.

Verum

49) l. c. p. 238.

Verum enimvero cantharides sanguinem nimis resolvere, gangraenae favere, et febrem inflammatoriam vehementer intendere videntur; quapropter usus eorum in principio morbi circumspectus sit.

Praesertim vero ad mentem TRALLESI, si repetitis venaelectionibus, omnibusque remediis veris antipleuriticis, sat largiter usurpati, malum non superatum sit, si pulsus non amplius durus, sed mollis, depresso et parvus appearat, si calor totius corporis moderatus, et fere naturalis sit, si urina non amplius intense rubra, sed straminea et pallida observetur, nihilominus tamen, dolor fixus urgeat <sup>50</sup>); patiter quoque si sputa aut suppressa sint, aut non debite succedant, vel si alvi profluvium adsit symptomaticum: serio de vesicatoriorum ad suras applicatione, etiam ex mente BAGLIVI et TRILLERI, cogitandum.

De OPII usu in pectoris inflammationibus inter Medicos etiam lis est. Ex sententia Cel. CULLENII et TRALLESI, non facile in hoc morbo usum ejus locum habere arbitror, nisi, perfecte jam discussa inflammatione, tussis vehementia tanta sit, ut somno ae-

ger

50) TRALLES de Uso vesic. §. 59. p. 276. sqq.

ger privetur, viresque ejus inde consumantur. Tunc enim opium stimulo suo, febrem, inflammationem et pectoris dolorem neque angere, neque concoctiones ac perfectas crises turbare valet; utpote ex quibus pessimi omnino metuendi sunt effectus.

Aliud adhuc remedium secundae indicationi respondens, *balneum* nimirum *vaporis* calidum, relaxans ac emolliens, ad pulmones, nares, os, pedes, et crura admissum, commendari solet. Conducit ex HUXHAMI<sup>51)</sup> consilio, praecipue illis, quibus habitus corporis stricior et fibrae rigidiores sunt, qui que durioribus laboribus adsueti calida simul sicque constitutione gaudent. Vapores autem ex infuso calido specierum emollientium, commode inspirari, et directe ad pulmones ferri possunt per machinam illam, quam JOHN MUDGE, Medicus Anglus, nobis communicavit ac delineari curavit in Traetatu: *de tussi catarrhali*<sup>52)</sup>. Hoc remedio, a BOERHAAVIO praefertim primum usitato, summa praecordiorum anxietas et tussis vehementia mitigatur, vasaque pulmonum rigida et a spasmo constricta relaxantur.

Con-

51) Opp. T. II, ed. Reichel. p. 183.

52) Aus dem Engl. übers. Leipz. 1780, 8.

Conducunt porro pediluvia tepida, nec non fomenta discutientia, pectori admota uti et unguenta camphorata etc. quae praecipue in pleuroperipnevmonia magni momenti sunt<sup>53)</sup>.

### C. Indicationi tertiae.

satisfaciendo, Medicus probe observet motus, quibus natura morbo mederi intendit.

Rarissime quidem, ut supra dictum fuit, resolutiones tantum per sudorem fiunt; interea transpiratio insensibilis decoctis tepidis diapnoicis promovenda et sustinenda est.

Optima ac frequentissima morbi solutio fit per sputa. Promovenda haec per decocta emollientia et radicis Senegae usum continuafum, praesertim, si inflammatio non omni ex parte sublata sit; nec minus per medicamenta expectorantia, mucilaginosa, oleosa, dulcia: e. g.

C 2

Oxy-

53) Sic inter alios, *Vogelius* l. c. p. 154. Unguentum de althaea cum oleo hyoscyami, camphoratum, magni fecit, cui etiam *Ill. BOEHMERUS* oleum amygdalarum dulcium vel lumbricorum terrestrium camphoratum saepius optino cum successa substituit. Et sicuri *Vogelius*, experientia convictus, Essentiam Galbani cum spiritu Vini praeparatam interne specificie laudavit, ita eandem quoque externe dolenti lateri applicandam jussit.

Oxymel squilliticum, Gummi Ammoniacum,  
Syrupum de Althaea FERNELII, etc. Ne  
autem nimis diu Medicus becchicis re-  
laxantibus, emollientibus et expectoranti-  
bus inhaereat; sputis albis et blandis per  
aliquot tempus apparentibus, a liberaliori eo-  
rum usu abstineat et quartae potius prospiciat  
indicationi.

Et balneis pnevmonicis sputorum quoque  
rejectio promovetur; immo suppressa sputa,  
addito illis aceto, ac furis simul applicatis ve-  
ficatoriis, aur plantis pedum finapismis, revo-  
cantur.

Ab emeticis, Kermes minerali, Tartaro  
emetico, aliisque ex antimonio praeparatis  
et refracta dosi adhibitis, ut nonnisi nau-  
seam excitent, sputorum optimam excretio-  
nem, praesertim si malum jam per tempus  
duravit, se expertos fuisse, Cel. CULLEN<sup>54)</sup> et  
ILL. DE STÖRK<sup>55)</sup> affirmant. Eundem effectum  
alcali volatile sibi praestitisse, CULLEN te-  
statur<sup>56)</sup>. — Sed optimum ex his nobis vide-  
tur

54) I. c. p. 238. 240.

55) Unterricht vor Feld- und Landwundärzze  
I Th. p. 108.

56) I. c. p. 240.

tur Kermes minerale, scopo resolvente minima  
in dosi datum.

Criticæ per *urinam excretioni* promoven-  
dae, inter alia, omni ex parte conductit Senega.

*Alvi fluxus*, semper fere in hac peripneumo-  
nia symptomaticus, regimine diapnoico, ves-  
icatoriis furis applicatis, emulsionibus papaveri-  
nis, lenioribus opatiis correctis, cataplasmati-  
bus et clysmatibus emollientibus mitigandus  
et compescendus est; quo in casu etiam exop-  
tato eventu, *Ill. P R A E S E S* extracto Cascarillæ  
aquoso utitur.

Quoad quartam Indicationem:

opus est decoctis, ex herbis traumaticis subad-  
stringentibus, e. g. Pyrolae, Saniculae, He-  
derae terrestris, Veronicae Teucrifolio, Tussi-  
laginis &c. praeparatis. Praecipue vero egre-  
gie huic scopo inserviunt, Polygala vulga-  
ris, et Lichen islandicus. — Sic et conserva  
rosarum antiqua, et cortex peruvianus, vel in  
substantia, vel in infuso, pulmonum robur  
restituunt.

De



De vomicae quidem et empyematis curatione, nec non de reliquis peripnevmoniae speciebus, speciatim pathologice ac therapevtice ex proposito differerem, nisi graves obstarent rationes, quae non permittunt, ut ulteriorem earum disquisitionem, quam ad aliud et commodum magis differam tempus, in praesentiarum prosequi possim.

THE-

THESES.

---

I.

*Vesicatoria directe non habent vim  
antispasmodicam.*

II.

*Aquam cum mercurio crudo  
coctam, vim exerere anthelminthi-  
cam, dubito.*

III.

*Variolas non semper comitatur fe-  
bris inflammatoria simplex.*

IV.

*Sudor sub calore febrili erumpens,  
minus saepius salutaris est.*

V.

*Petechiae non semper ex primis viis  
originem trahunt.*

*Lar-*

VI.

*Largior nitri usus in febribus len-  
tis et hecticis haud conducit.*

VII.

*Venaesectio in dysenteria saepe in-  
dicatur.*

VIII.

*Signa, ex solo pulsu petita, fal-  
lunt.*

WD 18  
Pica



1

# DE LAVDE MEDICAMENTORVM SIMPLICIVM RESTRINGENDA

ILLVSTRIS AC GRATIOSI ORDINIS MEDICI  
AVCTORATE ET CONSENSV  
IN REGIA FRIDERICIANA

P R A E S I D E

D. IO. FR. GOTTL. GOLDHAGEN,

MEDICINAE, PHILOSOPHIAE ET HISTORIAE NATURALIS  
PROFESSORE PVBLCO ORDINARIO, CIRCVLI SALICI,  
COMITATVS MANSFELDENSIS ET CIVITATIS  
HALLENSIS PHYSICO

PRO

GRADV DOCTORIS MEDICINAE

SOLEMNITER CONSEQUENDO

AD DIEM XXIX. SEPTEMBER. CIJIOCCCLXXXIV.

H. L. Q. S.

PVBLICE DISSERET

AVCTOR

ISAAC DAVID LEVI  
HALLENSIS.

HALLAE

TYPIS FRIDERIGI DANIELIS FRANCKE.

